



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# De Iustitia Et Iure ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

9 Vtrùm Aduocatus possit causam dubuam tueri.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)



controu. 1. Ratio est, quia hoc damnum per accidens & præter ipsius intentionem acculatori obuenit, cuius ipse causam non tenebatur iuare. Idem dicendum de reo, ex cuius negatione sequitur acculatori poena.

## DUBITATIO IX.

*Vtrum aduocatus possit causam dubiam tueri.*

<sup>52</sup> *Si causa dubia.* **R**espondeo Primò, Si vtraque pars est quasi æquè probabilis, potest suscipere vtriusuis, id est, siue Rei, siue actoris patrocinium: tunc enim vterque ius habet iudicio experiundi.

Dico Secundò, Si causa Rei minùs quidem sit probabilis quàm actoris, absolutè tamen sit probabilis, potest aduocatus eam tueri. Ita Sorus l. 5. quæst. 8. artic. 3. Patet; quia reus tunc se potest tueri: ergo, &c.

<sup>53</sup> *Si causa actoris sit minùs probabilis.* Sed difficultas est, si causa actoris sit minùs probabilis, quàm Rei. Sorus existimat aduocatum tunc non posse causam actoris suscipere, si inde graue damnum Reo immineret; id enim fore contra charitatem. quod interdum locum habere potest, quando causa potiri, parum interest actoris, ordinariè tamen quando causa est verè probabilis, suscipi potest, siue sit actoris, siue Rei: quia non semper id, quod videtur probabilis, est verius. imò sæpè id, quod minùs videtur, verius est. vnde etiam si aduocato videatur causa Rei proba-

bilior; potest tamen bona fide suscipere causam actoris, quæ etiam probabilis sit, & subijcere se Iudicis determinationi, allatis ijs quæ pro illa faciunt.

Dices Primò, Ea pars est Iure potior, cuius causa est probabilior: atqui iniquum est agere contra eum qui maius ius habet: ergo, &c. <sup>54</sup> *Obiectio 1.*

Respondeo, ille, cuius causa est probabilior, videtur quidem Iure potior, non tamen semper est re ipsa: vnde is, cuius causa est probabilis, non tenetur eam deferere, quòd aduersæ partis videatur probabilior; sed potest adferre quæ pro sua faciunt; & totam determinationem Iudici relinquere, cui fortè aliter videbitur.

Dices Secundò, Cuius causa est minùs probabilis, non potest alteri bellum inferre; vt patet ex dictis qu. 40. art. 1. dubit. 4. ergo nec litem aduersus eum suscipere. *Obiectio 2.*

Respondeo negando consequentiam. Ratio est, quia per litem firmiter inquisitio veritatis, vtri re ipsa plus iuris conueniat, & decisio relinquatur Iudici, cuius est vtriusque partis momenta expendere. sed belli illatio est sententia executio: vnde supponit sententiam esse latam, vel debere ferri in fauorem eius qui bellum infert. cuius autem ius est minùs probabile, non debet sententia pro illo sed potius contra illum ferri; ac proinde non potest bellum mouere. *Alia est ratio legis, alia belli.*

Vtrum autem Iudex teneatur sequi sententiam probabilioiorem in Iudicijs, dictum est l. 2. qu. 19. art. 6. dub. 7.

## SECTIO QUINTA.

DE OFFICIIS IUSTITIAE  
DISTRIBUTIVAE.

**H**ACTENVS dictum est de officijs Iustitiæ commutatiuæ, quæ potissimum cernuntur in tribus, nempe in restitutione ob varias causas facta; in commutationibus contractuum; & in publicis Iudicijs, quibus puniuntur Rei, & absoluntur innocentes. Sequitur vt breuiter agamus de functionibus Iustitiæ distributiuæ, & iniurijs quæ ibi committuntur. Hæ autem functiones maxime consistunt in distributione onerum & officiorum publicorum. Hæ onera publica potissimum sunt vectigalia & tributa: officia autem publica sunt vel secularia vel ecclesiastica, quæ dicuntur beneficia, in quibus maxime committi solet simonia. Iniuria autem, quæ propriè Iustitiæ distributiuæ repugnat, vocari solet Acceptio personarum, quamuis hæc etiam contra Iustitiæ commutatiuam interdum admittatur. Quare hæc Sectio constabit quatuor capitibus. Primum erit, De acceptance personarum generatim, & speciatim in officiorum distributione. Secundum, De vectigalibus. Tertium, De beneficijs. Quartum, De simonia. et si enim simonia propriè sit contra virtutem religionis; tamen quia maxime in beneficijs locum habet, de ea proximè post beneficia disputabimus.

CAPVT